

ACTA TRIBUNALIIUM

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

Sectio Altera

DECISIO

[DE EXCLAURATIONE AD NUTUM S. SEDIS IMPOSITA]

[Omissis]

Interposito intra praescriptum terminum ad Supremum hoc Signaturae Apostolicae Tribunal recursu — qui per Congressum ad disceptationem admissus fuit —, votis deinde exhibitis pro recurrente, pro publica administratione et pro rei veritate, Em.mi Patres responderunt concordato dubio: "An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 24 novembris 1979".

IN IURE

Professionis perpetuae nuncupatione profitens et superior legitimus, agens nomine et vice religionis, iura et obligationes invicem assumunt usque ad mortem profitentis duraturas. Status perpetuus tamen, quem Ecclesia divino afflato instituit, tali firmitate non gaudet ut nequeat ab Ecclesia propter graves causas supprimi, religioso consentiente, vel etiam petente, vel nonnumquam invito, ubi maius bonum religionis vel ipsius religiosi id postulat. Itaque Codex Iuris Canonici non tantum indultum saecularizationis concedi memorat, quo omnes religionis effectus tolluntur et vota solvuntur, sed et mitiorem agendi modum permittit, quo ius et officium vivendi in communi relaxantur, salvis votis et ceteris professionis effectibus (exclaustratio: can. 638-639).

Alia tamen exclaustrationis figura praxi S. Congregationis

negotiis religiosorum sodalium praepositae haud pridem inolevit, quae « ad nutum Sanctae Sedis » vocatur, seu praeceptum impositum sodali plerumque invito, donec Sancta Sedes aliter decernat valiturum. Finis huius exclaustrationis est plerumque communitatis damnum arcendum ubi religiosus pervicax oboedire detrectat, si paupertatem passim et graviter violat, si superioribus obtemperare renuit, si lites et iurgia in communitate provocat et fovet, si aspera conversandi ratione vitam sodalium intolerabilem reddat, si scandalum fidelium cum gravi religionis detrimento creat. Potest tamen et quis exclaustrari propter sui ipsius bonum procurandum, ut seorsum a communitate pacem mentis vel animi tranquillitatem recuperet.

Exclaustratio ad nutum Sanctae Sedis nulla Summi Pontificis lege est sancita, nec ullus procedendi modus praescriptus est; necesse est tamen ut de gravibus et sufficientibus causis ad exclaustrationem praecipendam S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus certior reddatur. Si vero quaeratur quomodo de violatione legis disputetur (Const. Ap. « *Regimini Ecclesiae Universae* », n. 106), in re ubi nulla lex lata est, attendatur oportet canon 20 C.I.C. de supplendo silentio legis. Nonnumquam enim prorsus necesse est religiosum a communitate seiungi, qui nec exclaustrationem petit nec dimissionem ad normam Codicis meretur. Norma propterea sumenda est a legibus latis in similibus necnon a stilo et praxi Curiae Romanae seu Sacrarum Congregationum (can. 20), et exclaustratio non petenti, immo renuenti, imponitur.

Exclaustratio ad nutum Sanctae Sedis speciem prae se ferre videtur poenae, quippe quae sodalem bono praecipuo privat seu vita communi cum adnexis iuribus. Finis tamen exclaustrationis non est punitio eius de quo agitur, sed incolumitas potius ceterorum et totius communitatis ne vita quotidiana pravis exemplis intolerabilis reddatur. Accedit quandoque et maius bonum ipsius religiosi singulariter, ut seorsum a communitate pacem mentis, nervorum sedationem, animi tranquillitatem recuperet. Exclaustratio propterea est actus administrativus S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus propter communem necessitatem impositus, quin de lege poenali vel de imputabilitate delictorum disputandum sit.

Quamvis nullus procedendi modus praescriptus sit, haud raro accidit ut processus pro religiosi dimissione rite secundum

Codicis praescripta praemittatur, sed S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus censeat mitius esse procedendum, salvo scilicet ligamine professionis religiosae cum spe regressus ad plenam vitae communis fruitionem.

Quo quidem in negotio etsi Patres arbitrantur competens Dicasterium, ex auctoritate sibi collata, in bonum non solum Congregationis Religiosae sed ipsius religiosi, modum agendi « novum » introduxisse, facere tamen non possunt quin animadvertant hanc exclaustationem ad nutum Sanctae Sedis, quae uti sonat, posset ad terminum vitae Religiosi, qui numquam exclaustationem petiit, protrahi, esse melius circumscribendam, ne in discrimen vocetur ille quasi-contractus, qui in professione initur inter Institutum vitae consecratae et religiosum profitentem.

IN FACTO

[*Omissis*]

S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus relatione Visitoris Apostolici adeo commota est ut Sororem N.N. iuberet muneri docendi in schola renuntiare ante novum annum scholarem incoeptum, sub comminatione dimissionis, nullo tamen exitu, et Superiores, propter ingravescens scandalum ne religionis disciplina propter vitae communis ruinam fatisceret, novum interventum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus implorarunt. Inde factum est ut S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus nervosius, cum nulla amplius conciliationis spes effulgeret, exclaustationem decreverit, ad nutum S. Sedis duraturam. Late grassans scandalum propter violationem latam et publicam votorum, cum damno vitae communis gravem constituisse causam ad religiosam domo pelendam, donec resipiscat, nemo est qui dubitet, maius enim malum religionis vix concipitur. Nec patet quomodo hoc S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus decretum legem violaverit. Soror N.N., ad meliorem frugem conversa, iterum ad claustra admittetur; ni resipuerit, saltem religioni amplius nocere nequibit.

S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus in hac re processit secundum inolitam suam praxim, immo praecepta et monitiones rite datae sunt quae pro dimissione prae-

scripta sunt, quae gravior est exclaustatione a S. Sede imposita, asperiores effectus parit, difficilius revocatur. Sed S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus duxit mitius esse in casu procedendum.

Sorori N.N. plenissimam sui defendendi copiam fuisse, non opus est demonstrare. Saepius enim de sua agendi ratione conventus cum Superioribus habuit, pluries accersita Superiores adire recusavit, datis monitionibus adnexae erant rationes monendi cum invitatione ad sui exomologesim faciendam et sese defendendam. Soror rationes egit cum ipsis ministris S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus ad comminatam dimissionem avertendam, quibus rationes suas plenissime potuit exponere.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, circa propositum recursum respondendum censuit uti respondet:

« *Negative, seu non constare de illegitimitate neque in procedendo neque in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 24 novembris 1978, prot. n. 5535/75* ».

[...]

NOTIFICETUR

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 23 novembris 1981.

SCRIS, Prot. n. 5535/75. - SIGN. APOST., Prot. n. 10.896/79
C.A.